

discutere. Et regnavit, inquit, in Syria Semiramis, magnamque quondam Asiae partem Amazones tenuere. Iam ista non inter iocos numero, in quibus nihil colorate fingitur, sed palam ingeruntur opprobria. Dolobella Reginae pellicem, sponsum interiorum Regiae lecticae vocavit. Bibulus ipse non Caesarem, sed Bithynicam dicit, & foeditati miscet invidiam, dicens, ante sibi Regem cordi fuisse, nunc Regnum. Octavius quidam aeger omnino, eoque linguae mordacior in publicum progressus, Pompeium Regis nomine salutavit, mox versus in Caesarem: Ave, inquit, Regina. Cicero ipse quem ad mordaces iocos cogor reuocare, cum aperte nimis multa de hac re scriptis etiam mandasset, defendentem quondam Caesarem Nicomedis filiae causam in Senatu, ac magna Regis erga se merita recensentem interpellavit: Et remoue, inquit, ista oro te, quoniam notum est, & quid ille tibi, & quid illi tu dederis. Curio cum stabulum Nicomedis, & Bithynicum fornicem appellasset, simplici non contentus macula, utriusque sexus ignominiam adiecit, in oratione quadam omnium mulierum virum, & omnium viro-

rum